

ad executionem juris jam quæsitæ; argumento text. in leg. Scimus. Cod. de Inoffic. testament. & ibi DD. & præcipue Salic. Quartò, quia jus accrescendi transmittitur, ut in leg. Si ex pluribus. ff. de Suis & legit. hered. & in leg. Qui patri. ff. de Acquirend. hered. Quintò, quia jus detrahendi quartam Trebellianicam & Falcidiam transmittitur ad hæredes, ut in leg. Marcellus. §. fin. Ad Trebellian. & in leg. Quamquam. Cod. Ad leg. Falcid. Sextò, quia jus petendi restitutionem transit ad hæredes, ut in leg. Non solum. ff. de In integrum restitution.

38

Sed quia materia nostra maximam habet communionem cum computatione, quæ fit in Legitima filiorum, quæ post collationem inventa fuit à jure, ut patet ex novis legibus de ea loquentibus, maximè ex leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testament. juncta leg. Ut in liber. Cod. de Collat. & ex leg. Omnimodo. §. Imputari. Cod. de Inoffic. testament. & ex leg. Si quando. §. Et generaliter. eod. tit. & ibi notant DD. & notat & declarat Paul. de Castr. in leg. Illud. Cod. de Collat. 1. col. licet de jure antiquo etiam sit inventa in quarta Falcidia quæ debetur hæredi instituto jure institutionis, ut in leg. Quartam. ff. ad Legem Falcid. & similiter invenitur in Legitima filiorum, quando expressè pater vel ascendens dicit, quòd datum vel donatum in vita computetur in Legitima, ut in leg. Si non mortuis. ff. de Inoffic. testam. Ideo volo hos terminos, differentias, & effectus declarare: & magistraliter, & resolutivè dico, quòd Computatio est. Alicujus rei vel quantitatis donata in Legitimam vel partem ejus assumptio. Et fit tantum in casibus sequentibus: Primus est, quando de jure antiquo ante Justinianum pater, vel mater, vel descendens relinqueret filio vel descendenti minus quàm sit Legitima; quo casu filius vel descendens agebat querela inofficiosi testamenti, ut in leg. Conqueritur. Cod. de Inoffic. testament. nam tunc tenebatur computare in sua Legitima bona sibi à patre donata in vita, ut excluderetur à querela. Secundus casus est, quando de jure novo post Justinianum pater relinquat filio titulo institutionis minus quam sit Legitima; quo casu agit ad supplementum, ut in leg. Omnimodo. Cod. de Inoffic. testam. nam hodiè non agit, si potest integra Legitima solvi & repleti ex bonis sibi donatis à patre, vel matre, vel ascendente in vita; quia illa tenetur computare in prædicta Legitima, & excludetur à jure agendi ad supplementum. Tertius casus est, quando filius simpliciter sit institutus à patre vel matre in sua Legitima; quia similiter tunc computabit in ea bona sibi donata à patre vel matre in vita; & si sufficiant ad Legitimam, nihil plus

petere poterit, si verò non sufficiant, petet residuum virtute testamenti & institutionis. Quartus casus est, quando filius esset exheredatus cum expressione legitimæ causæ, quæ tamen postea non fuit probata; quo casu filius poterit agere quærela ad rumpendum testamentum, sed tunc tenetur filius computare in sua Legitima bona sibi donata à patre vel matre in vita, ut excludatur à querela in totum, vel in parte recepta. Quintus casus est, quando pater vel mater instituat filium vel filiam hæredem in dote, vel in donatione sibi facta, quæ de jure debet imputari; nam valet institutio, licet sit proprium patrimonium filii vel filiæ, & non patris vel matris, ut est Glossa notabilis ordinaria, & ibi communis opinio in leg. 3. §. Sed utrum. ff. de Minor. in glossa fin. & si talis dos vel donatio sufficit ad Legitimam, non poterit aliquid aliud petere; si verò non sufficeret, ageret ad supplementum: Secus verò si esset institutus in re propria ipsius filii vel filiæ, quia tunc testamentum esset nullum, tanquam si in aliquo non esset institutus, & censetur omninò præteritus, & non ageret ad supplementum. Sextus casus est, quando filius vel filia esset institutus universaliter, & gravatus de restituenda hæreditate alteri; quia licet possit detrudere Legitimam in qua non potuit gravari, tamen in ea tenetur computare dotem & prædictam donationem receptam. Et in effectu istam sententiam & resolutionem probat text. in leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testam. text. in leg. Omnimodo. §. Imputari. eod. tit. text. in leg. Ut liber. Cod. de Collat. text. in leg. Illud. eod. tit. text. in leg. Si non mortuis. ff. de Inoffic. testament. & ponit singulariter, & melius quam alibi. Paul. de Castr. in dict. leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testament.

Et si quæras, quæ bona sunt computanda? respondeo, quòd donatio facta ob causam, ut dos, vel donatio propter nuptias, & similis computatur, quia non videtur intentio patris vel matris libere & absolute donare; ut apertè probant prædicta jura: Donatio verò simplex, quæ statim valet, ut quia est facta ex causa per quam statim valeat, vel sit jurata, vel sit facta filio emancipato, vel à matre, vel à linea materna, vel filio in potestate, qui postea vivo patre emancipetur, non computatur, nisi expressè sit dictum à donante; quia intentio ejus fuit liberè donare: Donatio verò simplex, quæ statim non valet sed morte confirmatur, computatur; quia habet vim relicti, & legata vel relicta computantur: ita probat text. in leg. Si quando. §. Generaliter. Cod. de Inoffic. testam. text. in leg. Filium quem habentem. Cod. Famil.

ercis-

erciscund. text. in leg. Etiam. ff. de Bonis liber. Et ratio potest esse; quia cum pater vel mater in testamento nihil aliud filio vel filiæ reliquit, intentio sua est, vel quòd illa donatio, quam tempore mortis poterat revocare, & similiter legatum vel fideicommissum computetur, & habeat pro sua Legitima: undè meritò computatur. Et in expressò ita tenet Bartol. in leg. in Quartam. ff. Ad leg. Falcid. 4. col. num. 10. & ibi communiter DD. præcipue Paul. de Monte Picol. in repetit. illius leg. 5. 5. col. num. 62. versic. Septima conclus. ubi vide exempla, & 59. col. num. 66. versic. Octava conclus. est. & ibi Carol. Ruin. 12. col. num. 23. idem Bart. in leg. 1. §. Nec castrense. de Collat. bonor. pen. col. Paul. de Castr. qui notabiliter loquitur in dict. leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testam. 1. col. & ibi Bald. & Jas. idem Paul. in leg. Cum quæritur. eod. tit. idem Paul. in leg. Si quando. §. Generaliter. eod. tit. & ibi Jas. Bald. in leg. Quoniam in priorib. eod. tit. 2. col. num. 6. ibid. Paul. Jas. Corn. & communiter Modern. in leg. Illud. Cod. de Collationib. Fabia de Giochis in repetition. Autentic. Novissima. Cod. de Inoffic. testament.

Et ex prædictis collige, quòd vera & realis differentia inter computationem & collationem est, quòd computatio fit tantum in casibus supra positis, & non in aliis, ut dixi & probavi; collatio verò in pluribus aliis: Item computatio habet locum tantum ex testamento, non verò ab intestato; collatio verò ex testamento & ab intestato, ut in Authentic. Ex testamento. Cod. de Collationib. Item computatio habet locum modò succedat filius cum aliis filiis & descendentes, modò cum extraneis; collatio verò tantum habet locum inter filios & descendentes, ut in leg. 1. & per tot. ff. de Collat. bonor. & in leg. Ut liber. & per tot. Cod. eod. titul.

Item etiam circa prædicta datur talis regula, quòd ea quæ in dictis casibus factò testamento computantur, omnia illa ex testamento & ab intestato conferuntur, non verò è contra: Istam regulam ponit text. in leg. Illud. Cod. de Collationib. Et si replicas, quòd legata vel relicta, vel donatio, quæ morte confirmatur, computatur; tamen illa non conferuntur, ut in leg. A patre. Cod. de Collationib. ergo ista regula videtur falsa. Respondeo, quòd debet intelligi quando nihil invenitur dispositum de collatione; secus si expressè invenitur quòd non conferatur, ut hic.

Unum tamen formaliter in materia quæro: an pater, vel mater, vel ascendens, cui minus Legitima per filium vel ascendentem est relicta, Anton. Gomez, ad Leges Tauri,

teneatur computare in Legitima quod in vita sibi donatum est à filio vel descendente? Et videtur quòd non, quia non tenetur conferre; ut supra dictum est. Sed contrarium tenet Paul. de Monte Picol. in dict. repetition. leg. In quartam. 79. col. num. 87. versic. Quarto etiam. & hoc, per argumentum à majoritate rationis: nam si filius computat, cui magis debetur Legitima; ergo similiter pater vel ascendens. Sed ego tenerem primam opinionem, per rationem quam posui supra in articulo, an ascendentes teneantur conferre?

Circa quod tamen se offerunt pulchra subtilia, & quotidiana dubia. Primum est, an hoc casu dos, vel donatio propter nuptias, vel quid simile de sua natura computabile computetur nepotibus in Legitima, si minus Legitima sit eis relicta, sicut ipsi filio vel filiæ prædefunctis computaretur? Et videtur quòd non; quia illa tantum bona computantur, quæ immediate proveniunt ex substantia & patrimonio ejus de cujus successione tractatur, ut in leg. Omnimodo. §. Imputari. Cod. de Inoffic. testam. & in leg. Scimus. §. Repletionem. eod. tit. & in leg. Quoniam novella. eod. tit. sed ista dos vel donatio provenit nepotibus ex substantia patris vel matris prædefunctæ, non verò ex substantia vel patrimonio avi: ergo non computatur. Confirmatur, quia mutatione personæ mutatur qualitas honorum, & amplius non dicuntur bona primi, sed secundi possessoris, argumento text. in leg. Paulus, aliàs, per Procuratorem. ff. de Acquirend. hered. text. in leg. Sed si plures. §. Filium imputer. ff. de Vulgar. & pupill. Et ex isto principali fundamento istam sententiam & conclusionem tenet Bald. in leg. Illam. Cod. de Collationib. 2. col. num. 6. Angel. in leg. In quartam. ff. Ad leg. Falcid. fin. col. num. 9. Secunda est opinio principalis in hoc dubio & difficili passu: scilicet, quòd si nepotes succedunt avorum patris vel avunculis, tenentur computare, quia tantum ex persona patris vel matris defunctæ veniunt: si verò succedunt cum aliis nepotibus, non tenentur computare; quia ex propria persona veniunt: ita tenet Joan. de Imol. in leg. In quartam. ff. Ad leg. Falcid. penult. col. versic. Uterius. idem Imol. in leg. Post dotem. ff. Solut. matrim. Salic. in leg. Scimus. §. Imputari. Cod. de Inoffic. testament. 2. col. num. 5.

Tertia & principalis opinio vera & tenenda est, quòd indistinctè talis dos, & donatio propter nuptias, & simile imputabile, debet computari à nepotibus in Legitima, sicut computaretur patri vel matri eorum prædefunctis, modò succedant cum patris vel avunculis, modò cum aliis nepotibus: Primò per text. in leg.

X2

Qua-

Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testam. ubi dicitur, quod sicut dos, & donatio propter nuptias, vel ante nuptias confertur a filiis vel nepotibus, ita debet computari; & licet non valeat argumentum; confertur, ergo computatur, ut in leg. Illud. Cod. de Collationib. tamen fallit in casibus a jure expressis, ut ibi notatur. Secundò facit, quia nepos vel nepotes ex filio vel filia prædefunctis semper succedunt repræsentativè ex persona, loco, & portione eorum, modò succedant cum patris vel avunculis, modò cum aliis nepotibus, & ex ea hic resultat effectus, quod succedunt in stirpes, non in capitata, licet dispare sint in numero, ut in leg. 2. Cod. De suis & legit. liber. & in §. Cum filius. versic. Item si ex duobus. Infit. de Hæred. quæ ab intestat. defer. & in Authent. de Hæred. ab intestat. venient. §. 1. collat. 6. cum aliis. Tertio, quia non debent esse melioris conditionis, & prærogativæ nepotes succedentes avo, quam pater vel mater eorum; & ex persona hæredum conditio obligationis non mutatur, argumento text. in leg. Postulante. ff. Ad Trebellian. 1. & in leg. Si viva matre. Cod. de Bonis maternis. & in leg. 2. §. Ex his. ff. de Verbor. obligat. ergo dos vel similis donatio, quæ semper habet in se qualitatem conferendi & computandi in ipso filio vel filia, non mutetur in nepotibus vel descendentibus. Quartò & notabiliter, quia de jure, etiam extantibus liberis, dos reddit ad patrem, ut in leg. Dos à patre. Cod. Solut. marrimon. ergo ab ipso patre avoque videtur provenire nepoti vel descendenti: de consuetudine tamen remanet apud nepotes & descendentes, ut ibi Glossa ordinaria, & communis opinio, & sic consuetudo aufert ab avo, & applicat nepotibus: ergo utroque casu ab ipso avo dicitur provenire: & per consequens est ab omnibus conferenda & computanda. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Jacob. Butr. in leg. Scimus. §. Repletionem. 1. quæst. Cod. de Inoffic. testam. Bartol. in leg. In quartam. ff. Ad leg. Falcid. 4. col. num. 12. & ibi Paul. de Castr. penultim. col. num. 9. Paul. de Monte Picol. in repetitione illius leg. 63. col. num. 73. qui latè prosequitur per 12. columnas. Carol. Ruin. in repetitione illius leg. 10. col. num. 21. Franc. de Rip. 33. col. num. 189. Paul. de Castr. in leg. Illam. Cod. de Collationib. fin. col. & quæst. qui dicit, quod audivit à Baldo in Scholis, quod in hac quæstione fuerunt Bartolus & ipse Baldus Advocati contrarii, & quod ipse Paulus semel consuluit pro Baldo & postea mutavit propositum & consuluit pro Bartol. Roman. 3. col. num. 12. Alexand. fin. col. & quæst. Jas. in fin. Philipp. Dec. fin. col. Bald. sibi contrarius in leg. Quo-

niam novella Cod. de Inoffic. testam. 2. col. numer. 6. & ibi Paul. 2. col. versic. Ultimo dubitatur. Franc. de Aretin. & communiter DD. ibi Fabian. in repetitione Authent. Novissima. cod. tit. 22. col. 6. quæst. num. 85. Roder. Suar. in repetitione leg. Quoniam in prioribus. cod. tit. fol. 69. 4. col. versic. Sed superest quæst. elegans. Bart. in consil. 190. incipiente, Gilbertus.

Quod tamen primò limita, præterquam si avus stipuletur tacitè vel expressè, dotem reddi filia vel hæredibus, quia tunc non tenentur conferre nec computare, quia non habent ab ipso avo, sed à patre vel matre secundum DD. ubi supra. Sed ego teneo contrarium; quia licet ex pacto & contractu avi pervenit ad nepotes; tamen dicitur pervenire ex bonis & substantia ejus, & in terminis ita tenet Paulus in dict. leg. Illam, & ibi alii DD. Secundò limita, præterquam si filius vel filia, quæ recepit dotem vel donationem, sit emancipatus vel emancipata, vel sit in potestate & postea emancipetur, quia tunc dos, vel donatio pleno jure sibi quæritur & postea nepotibus & descendentibus, argumento text. in leg. Unic. §. Accedit. Cod. de Rei uxora. action. ergo non tenentur conferre nec computare succedendo avo; quia non videtur habere ab eo, sed à patre vel matre, secundum eosdem. Ex quo infertur, quod cum hodiè per contractum matrimonii filius vel filia efficiatur sui juris, & censeatur emancipatus & emancipata, nepotes & descendentes non tenentur conferre nec computare, secundum prædictos DD. ubi supra. Sed ego teneo contrarium, imò quod indistinctè in omnibus casibus superioribus teneantur prædicti nepotes conferre & computare in successione avi, sicut ipse filius & filia, pater vel mater eorum tenentur; per fundamenta & rationes, de quibus supra, quæ militent in isto casu, & maxime per text. expressum in leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testam. ubi habetur, quod indistinctè dos data à patre vel matre, avo vel avia confertur & computatur per descendentes, modò sint in potestate, modò emancipati, modò sui juris; & in terminis ita tenet Paul. de Monte Pico. in dict. repetitione leg. In quartam. ff. Ad leg. Falcid. num. 81. versic. Tertio limita. & ibi Carol. Ruin. 4. col. num. 197.

Secundum dubium est, si avus dedit dotem vel donationem propter nuptias, vel facit aliam donationem sui natura conferibilem & computabilem nepoti vel nepti vivente patre: an confertur & computetur ab ipso patre, succedendo avo patrique suo? Et breviter & resolutivè dico, quod si avus dedit & fecit contemplatione filii, patrisque nepotis vel neptis, & hoc possit

possit constare tacitè vel expressè, quia ipse filius ad hoc tenebatur, vel ex alia conjectura, (quia in dubio non præsumitur fecisse contemplatione filii), tunc ipse filius paterque nepotis tenentur conferre & computare succedendo patri avoque nepotis vel neptis; sed postea ipse nepos vel neptis tenentur conferre inter suos fratres in successione patris eorum: similiter etiam retento isto casu, si filius paterque nepotis vel neptis decedat ante avum, talis nepos vel neptis succedendo avo cum patris vel avunculis vel cum aliis nepotibus tenentur conferre & computare, sicut pater ejus tenebatur, cum loco ejus succedat; & si fortè cum isto nepote vel nepte, qui dotem vel donationem recepit, concurrant alii nepotes ex eodem filio mortuo, fratresque ejus teneantur postea inter eos conferre & computare, cum ad eum tantum, & non ad alios dos vel donatio illa & commodum provenit. Si autem avus dotem vel donationem dedit nepoti vel nepti non contemplatione filii patrisque nepotis vel neptis, non teneatur filius conferre vel computare, nec nepos vel neptis succedendo patri: imò etiam si filius decederet in vita avi, non teneatur nepos vel neptis conferre vel computare succedendo avo, quia succedit ex persona patris, & pater ejus non tenebatur conferre nec computare. Item etiam quia huic nepoti non debebatur Legitima vivente patre: unde non tenetur conferre per supra dicta. Et in effectu istam sententiam & resolutionem probat text. in leg. Dedit dotem. ff. de Collationib. bonor. text. in leg. Avus. ff. de Jure dotium. text. in leg. Sed si plures. §. In arrogat. ff. de Vulgar. & pupill. text. in leg. 3. §. fin. ff. de Donat. inter vir. & uxor. text. in leg. Ut liberis. versic. Nulla discretionem. Cod. de Collationib. & tenet singulariter Angel. in leg. In quartam. ff. Ad leg. Falcid. fin. col. penult. quæst. num. 10. ibi Alexand. antepenult. & penult. col. num. 27. & 28. Paul. de Castr. in leg. Quoniam novella. Cod. de Inoffic. testam. in fin. (y)

## TEXT. XXX.

**L**A Cera, y Misas, y gastos del enterramiento se saquen con las otras mandas graciosas del Quinto de la hacienda del testador, y Anton. Gomez, ad Leges Tauri.

(y) De hac quæstione vide Castill. hic, num. 11. Bæz. de Dote, cap. 7. num. 28. & per DD. maxime Rip. in leg. In quartam. num. 106. cum pluribus sequentibus, ff. Ad leg. Falcid. & per Gregor. verb. Contrar. in leg. 5. tit. 5. part. 6. Azeved. in leg. 3. tit. 8. lib. 5. Recopil. num. 2. qui latè eam examinat, aliosque allegat.

(A) Impensa autem funeris quæ sit? latè tradit hic Velazquez de Avendañ. glossa 1. num. 7. Et quæ hujus nominis appellatione contineantur? Tell. Fernand. num. 3. Azeved. in leg. 13. tit. 6. lib. 4. num. 1. & sequentibus.

no del cuerpo de la hacienda, aunque el testador mande lo contrario.

Id est:  
Cera, & Missarum & funeris sumptus subducantur cum reliquis gratuitis legatis ex Quinto bonorum testatoris, & non ex corpore (omnium) bonorum, quamvis testator contrarium præceperit.

## COMMENTARIUM

## In Legem XXX.

## SUMMARIUM.

1. Impensa funeris ex quo deducatur?
2. Impensa funeris an præferatur debitis?

**N**Ota ex ista lege, quod impensa funeris deducitur de Quinto bonorum: Pro cuius perfecta declaratione dico, quod quando quis moritur sine filiis, impensa funeris deducitur & solvitur de tota hæreditate & patrimonio defuncti, & de residuo solvuntur legata, & postea quod superest pertinet hæredibus, & dividunt inter se: filii verò extantibus, similiter impensa funeris deducitur, & de residuo solvitur Legitima & alia legata: text. est in leg. 1. §. fin. Ad leg. Falcid. text. in leg. Papiianus. §. Quarta autem. ff. de Inoffic. testam. text. in leg. Si quis sepulchrum. §. fin. ff. de Relig. & sumpt. funer. text. in leg. At si quis. §. Funeris causa. & §. Equum. cod. tit. (A) Imò, quod magis est, præfertur hæc impensa funeris omnibus aliis debitis & creditoribus, ut ante eos deducatur & solvatur: text. est notabilis in leg. penultim. ff. de Relig. & sumpt. funer. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. text. in leg. fin. §. In computatione. Cod. de Jure delib. text. in leg. final. Infit. de Leg. Falcid. Quod extendit, etiamsi alii creditores habeant pignora, vel hypothecas tacitas vel expressas, ut probant prædicta jura, & ibi tenent communiter DD. Item etiam præfertur uxori in sua dote: ita Bartol. in leg. 1. ff. Solut. matrimon. 4. oposition. 2. part. & ibi communiter Moderni.